



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis, Commentariorum Libri LVIII**

**Valeriano, Pierio**

**[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678**

Furor implacabilis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14259**

*Æoli pila  
quid.*

**N**on imperite igitur, qui Æoli pilas cavant, solent illis in convexo Draconem superinducere, ex cuius ore circa medium sito spiritalis illa fistula promineat, quæ ventum proflet. Sunt vero pilæ huiusmodi æræ, cavæque, in quas per angustissimum punctum humore instillato, ubi ad ignem admotæ conalescere cœperint & effervesce, spiritum vehementem admodum effiant: humor siquidem caloris vi rarefactus, magnam aeris copiam generat, cuius cum minime capax sit ea concavitas, vehementi eo impetu cogitur erumpere, cui si tantillum argenti vivi infundatur, ex discordia, quam materia hæc habet cum calore, inquietata magis aqua vehementius exorabitur.

## SUCCESSUS VOTI. CAP. XV.

*Sanguis Basilisci in  
quanto  
pretio  
olim.*

**T**antam vero affinitatis cum Diis existimationem Basiliscus assecutus est, ut ausi olim sint mortales, sanguinem ejus difficillime conquistum curiosus aservare, Saturni eum sanguinem appellantes: quem si penes se haberent, existimabant & successus petitionum à Potestatibus, & à Diis etiam precum, morborum remedia, beneficiorumque munera largius impetrari. Astrologi quoque Basilisco tantum tribuunt, ut stellam in corde Leonis sitam Basiliscum appellent, quam Chaldaei rerum cœlestium reginam & dominam existimarunt, quod in Arati commentariis tradit Theon, ubi de Leone agitur: neque dissimulat Nicephorus in Astrolabii structura. Quamquam in universon esse Anguibus vim magicam ad gratiam sibi comparandam, Magi tradidere, quibus persuasum est primum uniuscujusque Draconis spondylum, mulcere aditus Potestatum, Principumque gratiam conciliare.

## SACERDOTIUM SACROSANCTUM. CAP. XVI.

**Q**ui vero Serpens sacerdotum insigne oblongo obvolutus pileo gestabatur, monumento erat, ut si quis contra Reges (penes enim sacerdotes Ægyptiorum erat imperium) auderet insultare, sciret se in venenatos morsus incursum.

## ORIS VIS. CAP. XVII.

*Enil. lib. 2.  
Lib. 1. de na-  
tur. anim.*

**H**ac autem de causa oris vim describere si voluissent, colubri signum protulissent: nam coluber nullis aliis corporis partibus validior, quam ore ipso. Celebratum est illud ad horrorem incutiendum, *δὴ γυα ἀσπίδος*, cum virulentum & immedicabile vulnus aliquod intelligi volumus. Aspidum ictui vel nullum, vel rarum admodum remedium inveniri, tradit Ælianus: compertumque est plerumque ictu laesos huiusmodi, vix horis quatuor superuisse. Et Moses cantico, venenum Aspidum ait insanabile. Eustathius, eam morsu lethiferum somnum superinducere: Plinius ea percussos torpore & somno necari tradit, eaque de causa fomiculosa dicitur à Sifenna. Color aspidis plurimum niger, quibusdam & cineritius, quandoque etiam pellis Aspidis fulva deprehensa est, quam ego in agro Bellunensi vidisse olim reminiscor.

## FUROR IMPLACABILIS. CAP. XVIII.

**I**nplacabilem furem Divinæ literæ per Serpentem voluminibus implicatum, & qui *linguis micæ ore trifurcis* (ita enim describitur irritatus) expressere, Psal. 58. legas: *Furor eorum Serpentini furoris instar, & sicut Aspis*, & quæ sequuntur. Incomparabilis porro est in Angue furor, qui simulac se læsum sensit, ita velana furit, ut numquam abssit, donec venenum intulerit, aut præ rabie exanimetur, ut ait Euthymius. Et quoniam feritate, ut dictum, reliquas colubras Aspides antecedunt,posito genere, ad istius accedit speciem, quæ maxime fit intractabilis.

## CONTUMACIA. CAP. XIX.

*Serpentium  
vera excan-  
tatio.*

**I**nde aliud desumitur hieroglyphicum: sunt enim qui contumacem hominem, nulli quippe legum imperio, vel magistratum edicto, potentiorumve iussis parere destinatum, per Aspidem aurem obturantem, apte significari tradant: ea siquidem ubi se excantationibus accessit senserit, statim una in terram aure defossa, alteram cauda obturat, ne carminum vocem exaudiat: atque in Magorum conatum eludit. Veram autem esse Serpentium excantationem, manifestissime constat.

Psalm